

Nº 15


Academia Latina Matritense.

Disertacion sobre la suprema, por

D. Manuel Puente.

(Latin y Castellano)

1833



*Faint, illegible handwriting at the top of the page.*

*Centered heading or title, faintly visible.*

*Main body of faint, illegible handwriting.*

*Small signature or name at the end of the main text block.*





Naturâ fieret laudabile carmen, an arte  
Luacitum est. Ego nec studium sine diuite venâ,  
Nec rude quid proicit video ingenium: alterius sic  
Altera proicit opem res, et conjurat amice.  
Horat.

Quid sit *Epicoëa*, seu *proëma* *Loicum*; qui hujus generis  
 carmini *Stilus* conveniat, et an apud *Hispanorum* gentem re-  
 perire sit aliquod verè *Epicum Proëma*?

### Oratio.



Si eorum, quae oratione tractantur, magnitudo et praestantia non  
 aliunde, quam ex his, qui de iis dicunt, doctrinam et dicendi copiam penderetur;  
 magis mihi verendum aet, *Academici orationis*, ne hodiernam die splendor  
 ac dignitas maximarum, pulcherrimarumque rerum, ingenii mei tenuitate, et sermone  
 inopia minueretur. Facturus enim verba de *Epico Proëmate*, praestantissimo hu-  
 manae mentis opere, cuius metam, quamplurimum audacter appetitam, pauci attingere  
 gloriantur; nihil rectè, nihil ornate eodem colore percuram, quo hujusce tantae rei  
 nobilitas et doctrina exornari, satiusque dignè commemorari queat. Sed non idcirco  
 maximum omnium carmen proavi dicendi ratione splendorem amittet; illud enim  
 optimè nostis, *Academici*, non ex ingenio dicentis, sed ex natura et doti-  
 bus rei gravitatem expendendam.

Quod si nobilitatem et magnitudinem spectemus, *epicum carmen* nobilissimum  
 optimarum artium quae aet oblique dubio reperimus. Tantam enim veteris admiratione;



et laude Homeri poemata praequebantur, ut Principes, Ducei, patrumfamilias,  
cuncti denique civis omnia, quibus se gererent, ex illis, quasi ex diviti fonte, hau-  
riri sint arbitrati; summa tragediae et comediae exempla Vates invenire se pro-  
se judicaverunt; oratores etiam, pictores, omnes tandem liberalium artium studiosi  
singularum regulas, atque praecepta, se in eis condiscere acquirere non dubitarunt.  
Et non errore quidem degingebantur: quaecumque enim ars grata et utilia offert,  
carmen epicum nimis admodum complecti videtur. Quisquam orator Homerum  
unquam antecellit? quae scientia sive ars ad pericula et labores audacter  
subeundas, ad eminentiores virtutes exercendas, et horum facinora accumulandas,  
aut melius aut vehementius hominum animos excitare potest? Si doctrinam,  
mentis eruditionem, morumque honestatem amamus; an ab epico Vate aliorum  
virtutibus et exemplis non commovemur, non edocemur, non instructi etiam delecta-  
mur?

Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,

Plinius ac melius Chryscipps et Crantore dicit.

Si cetera Poësis genera epico carmini conferamus, illud principem  
obtinere locum inter ea comperimus. Nunc legentis animus rugore ictus ab  
Jovis iram exarscit, quâ subente Aeolus ventos è vinculis abrens tempestates  
excitat; nunc ad Neptuni imperium commectus apparet, qui aequora tumida  
placans solem reducit; nunc horret et convellitur, dum ubi depopulatae, ac  
diriptae sibi obverantur; nunc afficitur dolore, ubi Regina amore saucia in  
medium se interficit miserandam. Tandem quatuor poëtae dabitur occasio, sib

vestrem depingat locum, vitam in agris curis ac periculis solutam omnibus amplectendam  
 proponit, cuncta deum extendit, quibus singula per se genera dignoscuntur. Itaque sum-  
 mam hujus poematis gravitatem et praestantiam omnes recognoscere coguntur; cum aliquas  
 tantum dotes poeta tragicus, comicus, bucolicus requirat, omnes tamen et eminentiores in  
 Epico desiderentur.

Quae cum ita sint, multum curae et laboris etiam divini praeditus ingenio in  
 hoc effringendo carmine impendat oportet, ut vatis Epici fiduciam, nomenque sibi concu-  
 liet; neque verò id obtinebit, si hujus generis natura atque leges aut temerè negligan-  
 tur, aut omnino penitusque ignorentur. Cum autem orationis argumentum eò prae-  
 cipiè tendat, ut Epici genus et regulas definiatur, quibus vera à falsis errantes  
 hujus carminis praestantiam et nobilitatem optimè dignoscere possimus; tunc ingen-  
 nium, et exigua pulcherrimarum artium notitia nec potest verborum dulcedine ca-  
 pientium aures delectare, nec, quod longius abest, et caput ut, sententiarum ponde-  
 re argumenti dignitatem exaequare. Est sicut gravissimum mihi per vos impu-  
 ctum onus, ut de *Επιγραφή*, seu de Poemate Epico brevi pertractem oratione; de pri-  
 mo nimirum atque principe Poeseos genere, et de eius proprio stile seu colore;  
 ac potremo, ut quid de Epica Poesi apud Hispanos sentiendum sit, definiam:  
 num sicut gens nostra, in excolendis Musis nulli secunda, frustra numine  
 hanc quoque partem ita felici eventu adernaverit, ut eximium aliquid ab higa-  
 nis viribus elaboratum dignoscatur poema, quod epicum jure haberi et celebra-  
 ri mereatur.

Et verò; quamvis jam dudum quaestio haec à viris multis, summaeque



in re literariâ laudis, fuerit pro dignitate agitata; æquus enim Aristotelis, et  
Horatii, oh quanta lumina! vel Scaligeri, Boileau, aut etiam nostratis Lucan  
clarissima quoque, tametsi recentiora, nomina ignoret? haud tamen quis inuit  
insicias hâc ipâ de causâ, quod viam hanc, difficilem sanè, viri tanti expedi-  
verunt et complanarunt, lâconibus nonnisi pedetentim eae per eandem inco-  
dendum, ne, si temerè ingredi, decurrere gestiant, meritissimas superbiae poe-  
nas luant? Hæc porò omnia me ab incepto abò dubio deterrent, Academicæ  
nobilissimi, ni vestra humanitate fretus lapsus, quæ in orationis decursu pas-  
sim offendetis, in oblivionem vos benignè daturis sperarem.

Quapropter ut initium dicendi faciam, recto ordini consulens, in duas  
dividam partes orationis argumentum, quod ex Academicæ præscripto est mihi  
constitutum die viginti sexta mensis Augusti.

Nihil verò aut singulare à me de Epopœjâ dicturo expectetis; sed id ego  
maximè solamque curabo, ut prædictorum magistrorum seu pedagogorum  
ordignis insistens, in priori parte, quantâ valiam, perspicuitate ac ordine Epopœ-  
jæ naturam, affectiones et leges exponam: quo fiet, ut hinc præactis funda-  
mentis, quasi spontè in secundâ pateat, quid statuendum sit de insigniori-  
bus vestris poematibus, quæ ad formam epicam propius accessisse videntur;  
an scilicet aliquod eorum tam præclaro nomine dignum sit jure merito  
concedendum.

Itaque antequam ad rem perveniamus, hujusque carminis præcepta,  
disciplinamque tradamus, aliqua circa originem præmittere sperne pretium



Duxi. Ita autem nobis repetentibus doctrinam à capite, et naturae, optimae ac  
 tium magistrae, vestigiis naviter insistentibus, carminis invidem, et caracte-  
 rem facilius percipi posse nemo non sentiet. Cum ergo homo, aut quidam eruditio-  
 sinus vir, à natura sit optimè comparatus, ut in praeclearis facinoribus tractan-  
 dis omnem operam et studium conferat; cum illa caeteris commemorat, non ut  
 historicus adamantine facta enarrare gaudet; quin quam multa etiam addit,  
 et animi vehementia abreptus res novas atque mirificas condere ac fingere vi-  
 detur. Mœnus incipitur, vultus accenditur, verba grandit, roque omnes depinge-  
 re ac exprimere amat, quemadmodum aut videre aut audire cupivisset. Tunc  
 cum ita sint, homines, qui ad rem praeclearam animum adjecerunt, non possunt  
 quin eam in memoriam revocent, ubi convenerint, et illud quicque factum sive  
 eventum potius referat, in quo virtute superaverit, aut visidius fuerit affectus.  
 Quamobrem apud omnes gentes etiam incultas publica fuerunt instituta spectacula  
 sive epinicia in aeternum illustrium facinorum et horum decus atque monumen-  
 tum, quibus virtutem simul excitari, animum inflammari, et dulcem patriae  
 amorem hominibus instillari putabant. Hinc fieri ab dubio potuit, ut homines  
 praestantiori ornatu ingenio, quo peritissimi evaderent, et in omnium conspectu  
 quam ornaticissime dicerent, in componendis epiciis summo studio adlaborarent;  
 unde accidit, ut publica antiquarum magnarumque rerum memoria, majorum-  
 que laus tanquam ars sensim excoli coegerit singularis. Itaque non solum  
 accuratissimo et historico more veritatis facta narrare, sed elegantiori sententiâ,  
 et specioso sermone exornare curabant; et eâ virtute atque proprietate insignia-



res describere viros, quorum facinora narrabantur, ut unusquisque audien-  
tium in medijs periculis illos sentire et conspiciere aestimaret. Atamen  
non poterat Vates sibi ad cavendum praestituere nisi actionem illam, quae  
in memoriam revocabatur; omnia enim spectacula in unius rei laudem  
fuisse tunc instituta cognoscimus. Hoc igitur de Epici carminis origine  
michi vinum et praemittere, ut omnia, quae ex primigenia hujus generis  
poematis natura deduci non possunt, tanquam inopportuna et aliena regi-  
ciantur. Actio una, temperata ejus magnitudo, utilitas, ratio dicendi  
potius epica, quam historica, et egregiae heroum, facinorumque descriptio-  
nes: haec sunt, nobilissimi Academici, praeccepta, doctaque, quibus exorna-  
tum poema atque formidine errandi epicum recte appellare possumus.

Epici naturam brevi ac summatim complectamur, definitionem atque  
praeccepta tradentes, ut primae partis susceptum opus, quoad sufficiant re-  
res, adimpleamus. Quamvis hoc nomen omni poeticae relationi convenire  
videatur, si verbum generaliter sumamus; tamen nihil aliud eorum nomen  
intelligitur, quam poetica cujuscunque magnae actionis relatio, quae ad un-  
versam populum, vel etiam ad genus humanum spectet. Si iam leviter ex  
definitione pendere volumus, historicam narrationem, vel aliquid simili-  
mum in epico carmine notabimus; at cavendum, ne decipiamur: quoniam  
facta est similitudo. Historia enim tota veritati consecratur, omniique  
facta, instar testis, refert, quin mutet atque decoret: contra vero carmen  
epicum in admirationem usque lectorem trahit, animum commovet, sensus



rapit, fingit, invenit, nullosque finas praeter verisimilitudinis servare cogitur.  
 Epus etiam Musae relatio est, quae non tantum causarum naturalium, sed praeter naturalium: cursum et ordinem vidit: historia autem causis naturalibus exprimit, plura refert actiones, perfectaque temporum et hominum est inconstantiae, atque levitatis imago. Itaque maximum intercedit discrimen, dum historia actionum naturalium vera definitur narratio; carmen vero epicum actionis mirificae poetica dicitur relatio.



His autem cognitis, dotas atque praeccepta explicare oportet, quorum ope carmen epicum fundere, vel epus naturam adamussim comprehendere possimus. Cum porro regulae circa materiam, formam, genumque dicendi versentur, quam brevissime tria haec exponere sperne pretium duxi. Nostri carminis materia non habitus, nec affectus, sed actio est: etenim ille nihil aliud est, quam honeste aut inhoneste agendi facultas quaedam, quae tamen non sentitur nec exprimitur, nisi per actionem. Nec idem de motu quilibet asserere debemus, cum sit vehemens ad agendum impulsus.

Reliquum est, ut actionis dotas recensamus: sae rem sunt, ut illa sit una, animos afficiens, mirifica, verisimilis et felix. Actionem unam esse debere commonet Aristotelis, omnesque harum rerum peritissimi magistri; ut sit, scilicet, per se simplex, nec dividi possit in pluras primarias actiones: omnes enim artes, quae imitatione aliquid perficiunt, ad unum absolvendum adlaborant, cujus gratia alia esse videantur. Sic Virgilius Eriogae ruinam, et multiplicia sui herois facta contexit in Aeneide, varias nimirum actiones, sed tamen ad



unam simplicem, eamque primariam, quae et in Italia religionis, Regni  
que per victoriam de Turno constitutio, ordinatas. Quapropter universi  
cujusque herois facta, sive tota ejus vita hujus carminis cantui accommodari  
ri nequeant: quoniam spatium nimis amplum uno intuitu haud facile et  
distinctè complectimur, neque quaecumque egit hero, egregia cuncta fuerunt  
vel illa possunt necessariâ cognatione conjungi.

Debet etiam actio animos fortiter tangere et commovere; ad id enim  
illa instituta est epica narratio, ut omnium mentes, et Principum praesertim,  
ad praedara facta accendat, ad eaque quasi viam sternat. Quo quidem  
dem carminis obtinetur finis; prindeque actio proponi debet gloriosa, qua  
animos laudis studio accensos in admirationem usque imitationemque  
rapiat. Duplici viâ haec omnia carmen lyricum conciliare videtur; au-  
ne nempe illustri, et impedimentis, quibus vexatur hero, et à felici exitu  
longè depellitur: si enim illam nomine christente aggreditur, atque con-  
ficiat, nec mens agitur, nec sensus spectantium percellantur; quoniam  
impedimenta motus et affectiones concitant, magnas commovent virtutes.  
Sic Aeneidos nexus praesertim in Junonis irâ consistit, quae Romanam  
condi gentem summo obicitur studio; et huc quoque pertinet tum tem-  
pestas, quae ab italicis oris Teucorum regem avertit; cum vehementis  
Reginae Didis amor, quo captus ille susceptum opus conficere non  
possit; tum denique bellum ei, suaeque genti à Antulorum Rege illatum;  
quibus omnibus egregiè superatis, felici tandem exitu gloriatur.



At vero: cum jam saepius dictum sit carmen epicum praecipue admiratio-  
nem conciliare debere, mirificis utatur verbis, ut finis obtineatur, oportet; huius enim  
poematis naturam mirificum recte constituere videtur. Quamobrem pulchre di-  
ctum est: per ambages, Deorumque ministeria, fabulosumque sententiarum tor-  
mentum praecipitandus est liber spiritus. Quid plura? Incerates poetarum ora-  
torumque praeconia accuratissime conferens, causarum praeternaturalium inter-  
ventum inter praestantissima bona, quibus à datibus oratores superantur, recense-  
re non dubitat. Nunc igitur: cum epicum carmen sit optimum atque nobilis-  
simum Poësis genus, pulcherrimo quoque decore, et mirifico ordine illud carere  
existimabimus?



Haberi tamen quoque debet verisimilitudinis ratio; nam qui fieri po-  
test, ut, si actio, quae vires humanas longe superet, progredatur, hominem ad si-  
mile quid aggrediendum impellat? Tandem felicem sortiri exitum debet,  
quamvis non opus sit heroas inducere usquequaque fortunatos; nam si iniurè  
percant, aut gravissimo quolibet damno sub finem excipiuntur, concitabit  
actio indignationem ac dolorem, verum non comparabitur tunc poematis finis,  
cum neminem ad imitationem commovebit. Inter dea etiam actionis numera-  
tur, ut sit tota, scilicet, principium habeat, medium, et finem, sicut monet Aristote-  
les. Causas et consilia actionis suscipiendae per initium intelligere: causarum effe-  
ctus, et effectuum difficultates ad felicem exitum perducendorum per medium acci-  
pere; finem autem omnium solutionem recte vocare debemus.

His igitur circa poematis materiam breviter expostis; de forma, posteaque



de genere dicendi seu stilo verba faciamus, atque tandem regulis omnibus  
atque praeceptis probe cognitis, nostra carmina facilius expendere, atque  
dijudicare poterimus. Cum forma sit univcrse in re poetica fictio, seu re-  
rum constitutio, quae in ea tractantur, in compositione, id est, in quodam  
cultu, ornatuque actionis, nostri carminis formam constituere debemus, et  
nihil aliud sit, quam actio suo modo composita, culta, et ornata. Sicut  
debet esse rerum omnium inter se connexio, ut in unum videantur con-  
lescere, et si loco moveatur, aut scindatur aliquid, non bene sibi conste-  
poema:

Atque ita monitur, sic veri falsa remiscet,

Primo ne medium, medio ne disceperet inuano:

quod ita sit temperatum, ut oculos magnitudine impleat, tamen non  
fugiat. Priusquam rates narrare incipiat, cantus obiectum proponere  
recta suadet ratio. Ita Virgilius:

at nunc horrentia Martis

Arma, virumque cano, Trojae qui primus ab oris

Italiam, fato profugus, Laviniae venit

Littora.

Attamen abire debet longitudo, granditas, et tumor, ut initium  
non videatur affectatus, quod renuste reprehendit Horatius, dum in  
epistola ad Pisonem docet:

Nec sic incipies, ut Scriptor cyclicus olim,



7

Tortunam Priami cantabo, et nobile bellum.

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatus?

Parturient montes, nascetur ridiculus mus.

Quanto rectius hic, qui nil molitur ineptè!

Dic mihi, musa, virum, captae post tempora Trojae,

Qui mores hominum multorum vidit, et urbes.

Ubi poeta objectum carminis exponit, cum praeternaturalium causarum ordinem, caeteraque, quae intercesserunt, misifica atque coelata optime dignoscere nequeat; numen aliquod sibi in auxilium advocare licet, quo afflatus praecidio non jam homo, sed coeleste numen referre videatur. Itaque plurimum sublimitatis et vehementiae in hac adhibendum est parte, quoniam homo Deum exorare, et alloqui maxima dignitate debet. Quae cum ita sint, forma et ordo in epico carmine servandus ita esse videtur. Postquam poeta actionem, ut dominus, invenit, animoque informavit, personarum mores et officia excogitavit, adjectitias actiones, machinasque commentus est, omniaque opportunè et artificiosè disposuit, opus tandem aggreditur; 1<sup>o</sup> quid canendum suscipit proponendo: 2<sup>o</sup> numen aliquod invocando, cuius afflatu arduum et praestantissimum perficiat opus; rem denique totam narratione prosequendo, in qua quidem ab historia magnoquæ differt; quoniam temporum rerumque ordinem minimè servare cogatur:

Ordinis haec virtus erit, et venus, aut ego fallor,

Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici;



Pleraque differat, et praesens in tempus omittat.

Cum sit carmen epicum praestantissimum ac difficillimum ingenii humani opus, nullum aliud sublimius, vehementius ac pulcherrimum dicendi genus sibi adiciere debere deducitur. Et recte quidem. Cum in epico carmine non poeta canere videatur, sed *Musa*, quae loquitur, causaeque praeternaturalis illius ore hominibus aperit; eo sermone uti debere constat, ut potius coeleste numen, quam humanum ingenium splendeat. Verba erunt sublimia, plura apparebunt figurae, descriptiones ita vividae, ut res ipsas oculis conspiciere sentiamus: denique poeta epicus omnia summâ dignitate, atque ostu exprimat, eaque quamvis humillima et demissa arte et ingenio penè divino offeret, atque decorabit.

Etiam metri rationem haberi oportet, gravi ergo adhibebit numerus poeta, ut sublimitas omnimodò seruetur. Circa versuum respectum, quibus carmen epicum fundere debemus; principum veterum exempla accumulari, magistri rerum harum peritissimi nos docent. Haec de causa Venusinus vates Homeri numeros imitandos proponit:

Res guttae regumque ducumque, et tristia bella,

Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.

Summam igitur descriptionum majestatem, maximam motuum commotionem, altissimamque verborum dignitatem in hujusmodi poemate desideramus. Quamobrem etsi nobilissima sit actio, recteque fabula



8

perficiatur; si demisso et oraculi utitur genere, si sermo languescit, versusque redduntur incompli atque difficiles, huiusmodi poema nunquam immortalitatis gloriam comparabit.

Hæc autem sapientissimi Academici, circa epici carminis naturam, dotas, atque genus præmittere constitui, ut hæc, quasi gradibus quibusdam, transactis, ad secundam partem orationis partem devenirem. Hic vero, (candide fatebor) tanti oneris gravitas mihi ante oculos denique obversatur, iterumque absterret; carmina gentis nostræ dijudicare et inquirere cogor, num scilicet, eorum aliqua jure Epica censeri debeant, et an regulas accuratissime serrent. Quis enim fiet, ut acri illo ad difficillimum hæc munus exigendum necessario iudicio præsetet adolescens, cui gravioribus jurisprudentiæ studiis hucusque insistenti, vix humaniorum litterarum calidæ animus licuit admovere? Quare summam deprecite justitiam, nobilissimi Academici, et benignius meum opus, ero, suscipite, velut primum in his rebus tironis experimentum.

Cum Græci atque Latini copiosius et feliciter, quàm ulla alia gens, Poeticam excoluerint artem, monumentaque plura illius nobis reliquerint; ab his solis propemodum hauriendum est, quidquid ad illam pertinet; et nec tantum præcepta, verum etiam nobilissima exempla inde petenda esse nemo sanè dubitaverit. Nunc autem, quod nostrates in Epico genere non valde profecisse dicamus, haud quidem illi mirandum erit, qui apud ipsosmet summos rerum magistros neminem, præter Homerum et Virgilium, glorioso Vitis Epici



nomine dignum censeri, celebrarique videat. Neque verò invidiosè id  
quidem, sed planè merito. Historiam enim fingere, seu fabulam invenire,  
quae magnitudine, utilitate, cultu, et ornatu omnium animos percellat  
excitet, atque delectet: adjectiviis actionibus aptè dispositis, characterum, et  
scriptionumque varietate eandem exornare: deinde eam affectionum, et  
motuum proprietatem, generisque seu stili sublimitatem, quam merito  
hoc sibi vindicat Poema, per longissimum temporis spatium adamus-  
sim ostendere atque servare; hoc certè magnum, ingens, perfectissimu-  
que et potremum ingenii humani opus absque dubio omnes esse nove-  
runt atque confitentur.

In hoc porro praestantissimum Poësis genus hispanos vates parùm  
incubuisse non ideo colligendum erit; quinimmo plura ediderunt pe-  
mata, in quibus potius vehemens ingenium, quam perfectam regula-  
rum observantiam vix sunt exhibuisse. Malo sanè fato accidit, ut  
cum optimè illi ad rem poeticam à natura comparati, et sublimiorum  
praediti aëtae comparuerunt, nullum tamen egregium carmen prod-  
dere, quod epico nomine sit jure condonandum; id quod, quamvis ac-  
grè, mecum fatentur omnes recentiores, et eruditissimi harum rerum  
scriptores hispani. Sunt quidem apud nos quaedam hujusce generis pe-  
mata, quae etiam apud externos magnoperè fuere collaudata, quaeque  
tametsi perfecta dici non possunt, pluribus tamen commendantur dotibus,  
quibus gloriam epicam nostri vates aliquantò se attingisse merito glorias



queunt.

Quod si causam invenire voluerimus, ob quam non sicut ceteris Poetis species, hanc nobiliorum feliciter excelsuerint Hispani, nullam aliam esse nobis afferendam puto, praeter artis regularum neglectiorem atque despectuam; inde, ut ego existimo ortum, quod liberrimum, vinatorumque impatiens, Hispanorum ingenium in Heliconia nullo vix condescendere appetit. Maximo hi sibi ut ornati acuta proprio abripi numine, quam mentem praecipias illigare maluerunt. Atque hinc, quam miseri in ea peccaverunt, videmus certe atque dolemus, Academici ornatissimi; simulque eorum experimentis quam parum profuerit ingenium venaque Divis sine studio, uti agebat Horatius, didicimus. Qui, Poetarum optimus sane Magister ac princeps, quo erat acri instructus iudicio, intimam arti ac naturae necessitudinem, et ad fundendum carmen conjurationem agnovit et commendarit, ac gravi sententia statuit.

Naturam fieret laudabile carmen, an arte  
 Quae situm est. Ego nec Studium sine Divite venam,  
 Nec rude quid proicit video ingenium: alterius sic  
 Altera proicit opem res, et conjurat amice.

Quae cum ita sint Epica Hispanorum carmina summo studio judicare et distringere curabo, brevi sermone complectens, quid rectum et laudabile, quid turpe atque rejiciendum mihi videatur. Nihil omnino expectetis, eruditissimi Academici, ut orationis initio agebam; Equae



enim proferret adolevens, tantis viris aut iuris, aut inaudita?

Quemadmodum apud Latinos Poësis versibus veteris Ennii; ita apud hispanos rudi Epico experimento orta videtur: quoniam primum quod ad nos pervenit Epicum gentis nostrae carmen, est Iugum Cæsi Poëma, in quo inculta tamen veneranda apparent veteris linguae atque Poësis primordia ac veluti rudimenta. Huic autem primo Epopejæ monumento, jure quodam Cæsi haud postremo inter hispanos heros, quique insignes de Mauris, infensissimis hostibus, victorias reportaverat, consecratos; suppar Poëma aliud saeculo XII prodit, in quo magni Graecorum Principis Alexandri praedclarissimae facta fuerunt concelebrata. Sublimiori stilo vixit etiam postea Iacobus de Meana, quamvis ita adfutatius saepe loquebatur, ut obscuro plerumque fieret. Per haec vero, aliaque similia et feruæ coena epica experimenta id agebant, contendebantque Hispanorum ingenia, ut summum Poësis culmen tandem contingere possent. Grande quidem facinus, nec minus laudandi conatus! Cum tamen nullum præderint imitatione undequaque dignum exemplum non sunt ea omnia aut in censa, aut in trutinam advocare. Immo propter quamplurima alia quoque carmina consulti prætoribus, quae postea præsertim Caroli V. aetate in qua laudem fuere à Ludovico Zapata, Hieronimo de Urrea, Hieronimo Sanger, aliisque multis composita; idque non tam ut brevitati consulam, quam quod illa etiam



10  
nec imitatione nec laudatione satis quidem condigna videantur? Quaedam  
tamen illustriora vestro pergonam iudicio, quae etsi verè epicae documenta,  
omnibusque numeris absoluta conscri nequeant; Hispanos inter cultissimas re-  
centioris gentes, selectissimosque Musarum alumnos haud potremo laudatos  
certè demonstrant.

Prinquam illuxisset in Italia eximium Terentium poema à tunc elabo-  
ratum ediderat jam uocifer insignis Ludovicus Camoens Lusitanos carmen,  
quo decem cantibus Lusitanorum apud remotissimas Indorum gentes res pre-  
clari gestas Calliope benignè celebravit. Illud verè tanta fuit et admiratione  
et laude ab omnibus litteratis hominibus exteri quoque ac praesertim Gallis,  
et Italis, susceptum atque habitum; ut in proprios vernaculos sermones quasi  
certatim, et quàm ornatissimè vertere contenderint. Nec immeritè quidem:  
pollet enim maximè pulcherrimis rerum descriptionibus, et imaginum pom-  
pa ac maiestate, generisque dicendi vehemens, ac stilum sublimem et venustum  
fermè ubique exhibet, vel tunc praesertim cum Lusitanae clasi occurrentem  
depingit horrendam immanis gigantis imaginem caput ex unda quasi ad coe-  
los efferentem, qui ab incepta navigatione procellarum metu lasso deterrere co-  
natur. Non paucis tamen in eo offendimur maculis, et quòd fabulis nimis adma-  
dum Camoens utitur, et quòd ita machinas adhibet, ut falsa Pergonorum mi-  
mina cum rebus sanctissimis Christianae Religionis iugiter nec semel intermiscet.  
Floruit etiam incunte saeculo XVI. clarissimus adolevens **Ildefonsus de Cr-**  
**cilla** non minus Marti, quàm Minervae charus, de cuius celebratissimo poe-



mate postmodum redibit sermo, nam illud est fere omnibus tam nostris,  
quam alienis magnopere commendatum. Horum gustibus incitatus  
condidit carmen labente eodem sacculo Iohannes Rufus Condubensis; quo  
quatuor et viginti cantus victoriam de ingenti Maurorum classe à  
Principe D. Joanne obtentam versibus non insularibus celebrat. Illud tamen  
non potius historiae, quam Leprogeae nomen sibi vindicare dicimus, quo  
namque una est actio, neque heros unus, et characterum varietate,  
que accuratis factis, quae animum delectando pariter distendant, carere  
videmus. Sunt autem haec epus generis, quae etiam si epus metro conscrip-  
tum numerosis aliquando versibus, aliisque bonis gaudeat detibus; pro  
sua nec inter Vata auctorem mereat Apollo, ac certo non Epici ad  
dignans Calliope inseri poterit. Paulo post Rufum Christophorus Viri  
inclitus miles et poeta quoque edidit poema, quo tametsi actio, quam  
canendam sibi proposuit, nec justae magnitudinis sit, nec apta admi-  
rationem parere; ampliorum tamen laudem promeruisse labore suo est  
jure dicendus. Dum enim numerorumque verificationem, aptam  
magnitudinem, et pulchras digressiones, atque conspicua in carmine  
circum, inter fortunatos hujusmodi generis cultores haud infimam sibi  
occupari, qui haec fuerit accutus, perfectumque poema fundere posse  
recte iudices. Et quidem, si melius ac nobiliter subjectam cantui, debitaque  
quantitatis actionem sibi Virius praestitisset, Leprogeae profecto digni-  
tatem exaequasset. Nunc de causa ita omnium existimationem sibi conuen-



11  
vit, ut cum quinque summis, quibus posset, laudibus prosequeretur, ac si  
vantis iudicio erit standum, inter primarios Virum nostrae gentis Vates, quae  
que carmen inter pulcherrima Hispanici Parnasi monumenta, et nullo nobilita-  
nem Italorum carmini inferius, nec et omnes habeamus oportet. Quis in Graeci-  
ca Poesi aemulator Joannes de la Cueva, in Epica quoque illum ambibat  
superare, Beticae expugnationem cantans anno 1603. Itaque quidem, si actionem  
spectemus, magnam et illustrem ille poemate suo est amplexus; ceteras vero  
Lycosae dotes et regulas haud multum servavit. Poetica fictio vest, et ani-  
mi in tranquillo semper sunt, nunquam enim non fortunatus hero sem-  
per hostis debellat, nullisque iniuriis aut periculis, aut difficultatibus premi-  
tur; sed tandem poeta actionem suam atque heroem ad exitum feli-  
cem perducit.

Quid autem dicam de divite, atque felicissimo ingenio, ad omniaque  
Poese genera à natura optimè comparato, inclito Lupo de la Vega? Animo,  
ut ita dicam, poetico pollens, quo omnia tam antiquorum, quam recentio-  
rum Vatum carmina est aemulatus, Epicam quoque palmam arripere  
certans, amorque patriae penitus incensus Jerusalem expugnatam in vi-  
ginti libro partitum poema edidit, ut praeclarissima in eo Hispanorum  
facta ab historicis et Vatribus externis praetermissa in aspectum omnium, lu-  
cemque proferret, meritisque laudibus praedicaret. Sed et tam copioso carmi-  
ne non alium fructum colligere licet, quam haec documentum; audaciora  
vehementioraque, scilicet, ingenia ad illa Poese genera apta non esse, quae



multum laboris et culturae ad sui perfectionem desiderent. Nunc autem  
quicumque innumera prope carmina à Lupo condita attentè recognoverit,  
parvam temporis usuram concessam illi fatebitur, quo perfecta tot, et  
absoluta poemata funderet, caeterisque imitanda relinquere valeret.  
Sed numquid Bernardum de Balbuena silentio praeteribo, cujus  
carmen dictione poetica, descriptionum varietate, versuum pulchritu-  
dine, aliisque dotibus nitet, praestantissimumque et commendatissi-  
mum esse ad unum omnes sentiunt? Attamen maxime quidem  
mirandum dolendumque est, ut potquam ille de Epico genere rectè  
et ornate discernisset, à regulis praecipisque ita aberraret, ut acri-  
ma sine commentum, in quo nulla fabulas, conficta bella, monstra  
atque portenta videre tibi potius videaris, quam maiestate splendentem  
legere Logogeam.

Sed de egregio adolescente Alfonso de Erulla, cujus antea  
mentionem fecimus, nonnulla longiori, ut par est, sermone dicimus  
oportet; brevitati tamen simul consulentes, ne vel in immensum pro-  
trahatur oratio, vel aures jam vestras nimium defatigemus, nobilissi-  
mi Academici. Poema, vulgò Aranzana, XVI. saeculo habente edi-  
tum tum propter eximias, quibus ornatus, doctus, tum propter caeteris  
singularem materiam, Vitiique auctoritatem totius Europae acknowle-  
ntem et laudem sibi merito conciliarit. Matrili ortus Erulla anno 1533,  
fuit in aula imperiali educatus, et magni Philippi II. cophobus; gloriae



et virtutis cupidus bellicam artem libentissime et amplexatus. Cum Trin-  
 cipem ad Angliam proficiscentem fuisset insecutus, Arvici populi defectio-  
 nis nuntius illuc ad aurei regis pervenit, qui Hieronimo Alderate pacis  
 et subjectionis negotium demandavit: in occidentem Ericilla cum eo se contulit,  
 ubi fortissimi militis palmam cum insignis Vatis laurea contexit atque  
 consociavit. Sex tribus coalescit partibus poema, in quo noctu, uti Cesar,  
 scribebat, quod die peregerat. Traucanorum bella quae adversus Hispanos  
 pro libertate vindicanda, sunt poematis argumentum, in quo quidem sum-  
 mam ille rerum veritatem servavit semper, ut ipse in secundae parti pro-  
 logo candidè fatetur. Sextum editum fuit carmen, avidissime omnes per-  
 quirere, atque summa diligentia comparare curarunt, sapienterque et  
 eruditos viros ut sine stygore legere non valebant, sic nec de manibus  
 unquam deponere, ait Andreas Soto. Quid plura? Num magis, eviden-  
 tiorè in huius poematis commendationem documentum, quam quod iterum  
 ac tertio intra paucos annos fuerit typis recensum, proximus offerre?

At verò plures illud epicum poema verè esse definiunt, sed histo-  
 riam genere epico exaratum, temporis ordini, eventuumque veritati penitus  
 alligatum. Cum praeterea Hispanorum gloria facta laudare intendit Er-  
 cilla, non unus ostenditur homo, ac dum nostratos avaritiâ, immanitate,  
 omnique vitiorum genere insignes exhibet, ut non possint non invidiam  
 et offensionem concitare; Traucanos contra virtute, fortitudine, ac amo-  
 re patriae conspicuos depingit. Postremo quod aequo animo artis et pul-



divitiarum amatores ferre non possunt, illud est abo dubio, quod cantus  
omnes sermone aliquo morali incipiant, lectoraque semper ad sequen-  
tem mittantur. Quamvis multa hujus generis in eo carmine vide-  
rent crediti ferè omnes, ideoque inter Epicos fortunatissimos Datis  
unam ex primis sedibus Melpomene Ervilla concedere detrectent; non  
insufficiantur tamen eam multis de causis bene de Poeta fuisse meritum,  
ac proinde non omninò Atracnam eae ex Epicorum carminum abo  
delendam. Et re quidem vera; actio aequè ac objectum Epicoe di-  
gnitati et sublimitati respondet; illudque mirum quod cum belli et  
pugni referri sint cantus, ita feliciter esse adornavit ingenio, ut varietate  
animus voluptatem nunquam non percipiat. In descriptionibus  
characteribusque exprimendis Homerum maxime fuit accumulatus; inter-  
dumque praesertim in concionibus ducum, quibus illi milites suos ad  
praelia accendebat, superasse nullus dubitat. Plura continet, virum  
inter alias eximia illa sane videtur Colodi ad magnates oratio, qui  
summà gravitate et prudentia teterrimas sedavit discordias, impendentem  
calamitatem avertit, dividensque animos statim amicitiam copulavit.  
Ita eloquentia splendens eruditio omnibus visa est, ut Voltaire, non  
admodum hispanicae gloriae studiosus, Nestoris orationi, qua Illidis  
initio Achillis et Agamemnonis animos componere contendit, Atracu-  
ni senis quam maxime praestare orationem dicere non recitatus. Si pro-  
mo genus dicendi seu stilum, metrique rationem spectemus, in omnibus



Epicam dignitatem splendescere. videbimus, quamvis haud paucos etiam  
 offendamus naevos, et propter celeritatem, ac mentis agitationem, et  
 propter bella, quae parum urgent. Alia quidem multa laudare po-  
 semus, in quibus exchomens hujus Vatis ingenium quam maximè nitet,  
 quaeque summam in eo genere gloriam sibi comparare potuisse satis  
 ostendunt, si etiam ac tranquillitate, et artis cultura carmen perficeret. Ex  
 quibus illud efficitur, ornatisissimi Academicis, hispanos nimirum Vates  
 actu et ingenio nulli secundo hoc Poetis genus misere excludere, et ca-  
 mina non pauca caeteris undique imitanda, si illa ad artis regulas et  
 naturae praecepta conformaverint.

Atque haec de hispanis Epicis dicta sufficiant, operae pretium enim  
 est jam receptum canere, Sapientissimi Academicis, et orationi me finem  
 imponere, ne nimis vobis molestus evadam. Vidistis, quoad mihi li-  
 cuit demonstratum, quali polleat Epopeja nobilitate ac primatu inter  
 caetera poeseos genera: unde praestantissimi hujus humanae mentis  
 operis sit origo repetenda; quam oporteat illius statuere materiam ac  
 formam; quibus etiam dotibus nitescere epica debeant carmina; quae  
 maximè dicendi ratio, sive stilus ipsis conveniat, ac tandem quasnam  
 regulas Vatum ingenia, utut felicissima, expediat. ut adamusim ser-  
 vent, si Calligoes dici aluntur, si ab Apolline coramari, si aeternum  
 denique nomen, et poetarum gloriam promoveri, ac sibi comparare  
 exoptant.





Haec autem omnia naturâ duce, unde cuncta recta in arti-  
bus promenda sunt, atque praelucentibus summis Magistri Aristo-  
tele et Horatio, inspectis demum maximorum Vatum sacrae im-  
mortalitati carminibus, Vobis exponere satagi; utinam verò feliciter,  
prout erat in votis! Inde prorsus quasi sponte fluxit oratio in diffi-  
cillimam, nec idèo tamen injucundam, nostratum Epicorum crissim.  
Quotus enim quisque ut, qui non Patriae gloria et laudibus libentissi-  
mè occupetur? Equis verò dubitet Hispanos quamplurimos Epicum  
praesim coluisse multum, multaque nec spernenda carmina heroica  
edidisse. Ex iis autem quaedam selegimus, de quibus apud vos sermo-  
nem institueremus, grande volumen pro breviori dissertatione aliqui  
facturi. Menzam, Rufum, Virum, De-la-Cueva, Palbueram, Corillam  
que nominari, cujusque horum poemata in examen ac judicium sic  
adduxi, ut Musarum potius jura, quam patriae nomen praec oculis  
habuerim. An autem, iniquè de tantis viris quid senserim, quod mihi  
sane dolendum nimium foret; vestrum esto judicium, o Academici pro-  
dentissimi. Id certe ego auiam affirmare nullum poema Hispano-  
vates nobis reliquisse, quod epicum merito valeat appellari; attamen non parum  
quin ad iam illo ingenio et auctu nulli secundos summam hujus gene-  
ri gloriam attingisse obtenturos eam, si sua carmina ad artis regulas,  
et naturae, certissimum ductum, exegerent. Dixi.

VI. Kal. Octobris anni MDCCLXXXIII.


Immanuel à Ponte













THE UNIVERSITY OF CHICAGO



Faint, illegible text at the top of the page, possibly a header or introductory sentence.

*R. J. M. ...*

Main body of faint, illegible handwritten text, appearing to be a letter or document. The text is mirrored across the page, suggesting bleed-through from the reverse side.



Naturā fieret laudabile carmen, an arte  
Inaeditum est. Ego nec studium sine divite rōnā,  
Nec rude quid proicit video ingenium: alterius sic  
Altera proicit spem res, et confurat amicē.  
Horat.



Que es epopeya, cual debe ser su estilo, y si existe en nuestra literatura un verdadero Poema Epico?

R. á Ilustre Academia:



